

De opii usu : dissertatio inauguralis medica ... / auctor Robertus Brandt.

Contributors

Brandt, Robert.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Nietackianis, 1836.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/qj7pgmjy>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DE 9
O P I I U S U.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXIII. MENS. APRILIS A. MDCCCXXXVI.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ROBERTUS BRANDT

PALAEOMARCHICUS.

OPPONENTIBUS:

F. ALLENDORFF, MED. ET CHIR. DD.

L. BLANKENBURG, MED. ET CHIR. CAND.

F. PRESSLER, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

✓ X

Digitized by the Internet Archive
in 2016

PATRI OPTIMO

**USQUE AD CINERES PIO GRATOQUE
ANIMO VENERANDO**

NEC NON

V I R O

DOCTISSIMO, SPECTATISSIMO

E I C H L E R,
CONRECTORI GYMNASII STENDALIENSIS

PRAECEPTORI SUMME COLENDO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Pavidus quidem, sed ut legibus academicis satisfaciam coactus ad summos in medicina et chirurgia honores capessendos officium materiae tractandae subeo, in qua tironi medico saltem haud parva obstant, partim quia brevissimo quatuor annorum spatio nec de rebus nondum auditis cogitare, nec omnia, quae nota sunt, legere potuerit, partim quia nihil inveniatur, quod a multis eru-

ditissimis et experientissimis auctori-
bus nondum sit investigatum ube-
riusque descriptum. Quare omnes,
quibus haec mea dissertatio in ma-
nus inciderit, nolite oblivisci, tiro-
nem scripsisse, qui hoc vel illud fa-
cile composuerit, quod, quum largior
accesserit experientia et penitior re-
rum cognitio, se scripsisse lubenter
deprecaturus sit.

Si spectamus rationes, quibus ars medica orta, progressa et id, quod nunc tenet, perfectionis fastigium assecuta est, duas inveniemus vias, quae solae rectae videntur. Prima est, quae sint causae, quae signa et quae in universum tota morborum natura; altera, explorare, quae sint sanandi methodi probatissimae et quae medicamenta aptissima. Sed nulla in medicina res tam multis tamque arbitrariis obnoxia erat opinionibus, quam theoria de medicamentorum viribus. Variarum medicorum scholae, ut summis praeceptis valde dissentiunt, ita etiam de medicaminum in corpus humanum effectibus mirifice differunt et magis minusve erroribus seductae, vel ex una tantum parte rem considerantes, secundum naturam illos

disponere non potuerunt. Multo majores certe fecisset progressus ars divina ac multo praestantior genus humanum utilitatem ex illa hausisset, si virium natura medicantium non modo a paucis sed omnibus gravissimo mendendi muneri deditis vere esset intellecta atque cognita. Quemadmodum perperam agunt illi, qui plurimis medicaminibus vires inesse certas et específicas autument, ita alii eo peccant, quod omnia, quae a recentioribus deteguntur et collaudantur, remedia vilia, eorumque efficaciam imaginariam potius quam veram arbitrentur. Nullo autem modo temere fidentum eorum effatis, qui casu quodam edocti, indubitata alicujus remedii virtutem celebrent, sed experimentis antea tentandum, num stabili firmaeque basi illa vis innitatur. Difficillimum vero est medicaminum effectum recte dijudicare, quum aegrotantium constitutio tam varia atque reactio inde pendens et indoles morbi vix saepe perspicienda sit. Quodsi vero experientia de medicamento cujusdam viribus et utilitate plurimum valet, id de quo nunc locuturus sum, gravissimi momenti esse puto, videlicet de Opio.

Opium est succus lacteus **Papaveris** somniferi exsiccatus. **Optimum** genus ex ejus capitibus immaturis incisis colligitur et in massas formatum fertur ad nos ex Arabia, Aegypto, Syria, Persia, plerumque Thebis, quare **Opium Thebaicum** vocatum est.

Constat ex principio volatili, principio extractivo, resina balsamica, resina elastica, **Morphio**, acido meconico, oleo peculiari et principio fibroso.

His breviter dictis, primum de **Opii** effectibus in corpus humanum loquar, deinde demonstrabo, quibusnam in morbis maxime adhibendum sit.

De Opii effectibus in corpus humanum.

Antiquissimis temporibus **Opii** in finem therapeuticum usus fuit exiguus, nunc vero largissimus est. Priusquam autem ejus vera efficacia cognita esset, in alium, ab hodierno valde abhorrentem, usum est conversum. Non defuerunt sententiae variae ac multiplices, inter se saepe discrepantes, de ejus effectibus, quae tamen ad eos recte cognoscendos nihil fere profuerunt. — Alii **Opium** re-

frigerare corpus, alii esse remedium calefaciens, accelerare sanguinis circuitum augereque calorem animale docuerunt; alii illud sensuum et motus muscularis organa ita obtundere, ut eorum functiones imminuantur, alii in nervos penetrare et spiritum eorum destruere dixerunt; alii lethali sopore opprimere homines, alii hilaritatem et audaciam efficere Opium contenderunt; alii ei demulcentes et sedantes vires, alii effectus irritantes tribuerunt. Propter has diversas ac multiplices opiniones *Hecker* et *Orfila* contenderunt, opii effectum tam singularem atque peculiarem esse, ut ad eum perspicue describendum lingua nostra verbis careret.

Opium, si vires effectusque comparas, revera fere cum nullo alio remedio similitudinem exhibet, attamen cur haec proprietas descriptionem atque explicationem accuratam non permittat, non facile intelligi potest.

Quamvis etiam nunc vehementer dispute-
tur de modo, quo Opium ab organismo excipiat, quamvis sudor odorem peculiarem in ejus effectu, ut nonnulli contendunt, nonnunquam indicaverit, experimentum tamen inter

omnes notum viri celeberrimi *Kauw Boerhaavii*, qui pilula, *Opium* drachmam dimidiam continente, canem vitiavit et postea unum tantum granum pilulae perditum reperit, oculenter confirmat, quonam modo et quibusnam viis *Opium* vim suam a loco ingesto in totum corpus propagare possit; resorptum autem gravissimos effectus exserere inter omnes constat.

Cuique, vel obiter studio medicinae imbuto, haud sufficientes explicationes de medicaminum effectibus scholae pathologico-humoralis chemicae et mechanicae occurrunt. Recentioribus demum temporibus omnino alia investigandi via, ab antiqua multum diversa, eademque magis idonea aperta est. Quibus omnibus rite perpensis comparatisque cum aliorum medicorum experimentis, hos effectus *Opium* exserere mihi videtur, quos tamen pro corporum, constitutionum, dosis, applicationis loci, pro praeparati ex *Opio* varia ratione varios esse necesse est.

Opium effectus in sanguinem.

Opium magnam habere vim ad systematis vasorum actionem excitandam facile intelli-

tur. Nam in ejus usu cordis motus frequentiores atque celeriores redduntur, circulatio augetur, sanguis magis affluit ad caput, turgentia ad oculos et genas obvenit, facies rubescit, ardent oculi, pulsus acceleratur. Simulque respiratio copiosior, calor animalis atque cutis actio aucta apparent. Qua re *Tralles* (de vi *Opii* cardiaca in suis *Advers. med. pr.*) maxima cura demonstravit, veram *Opii* vim in acceleratione sanguinis circuitus positam esse, ita ut *Opium* sit excitans vino simile.

Organon maximi momenti efficaciamque medicamentorum prae ceteris indicans sane cor est. Sanguis, ejus stimulus naturalis, rebus alienis mixtus, insigni modo id afficit. Extra omnem dubitationis aleam positum est, functionem cordis mutatam momentanea fere actione ad vasa capillaria se propagare, ita ut status eorum facultatis omnino a corde pendeat. Quo fortius igitur aut debilius, quo frequentius aut rarius cor contrahitur, eadem ratione sanguis per arterias movetur.

Duplici autem modo cor in arterias agit, mechanico scilicet et dinamico. Vis mecha-

nica ratione, qua sanguis propellitur, et reactione arteriarum in columnas sanguinis, cum impetu vel tardius irruentis, sese exserit; dynamica autem propagatione variae cordis irritabilitatis in arteriarum contractilitatem. Hujus rei documentum plurimum medicamentorum actio nobis praebet. Spirituosa in sanguinis mole diu in mixtione sua perseverantia, cor vehementer stimulantia, motus ejus frequentiores et fortiores reddunt, circulationem augent et hac de causa vitam totius organismi ad majorem intentionis gradum provehunt.

Qualis *Opii* vis cardiaca sit, satis superflueque elucebit. Differentiae de *Opii* effectui in sanguinem inter viros celeberrimos, licet primo intuitu magnae, adaequari possunt observationibus *Leigh* (Experiment. Inquiry into the properties of *Opium*) et *Crampe* (l. c. pag. 30. 599.)

Quum post mortem *Opio* defunctorum sanguis solido liquidior inventus sit, nonnulli medici adducti sunt, ut omnem *Opii* vim in corpus humanum ex ejus facultate sanguinem diluendi derivare conarentur. Sed haec li-

quatio minime est effectus utique idem, imo non nisi in summo gradu locum habere videtur, cum interdum cor sanguine coagulato repletum inveniatur.

Opio majoribus dosibus porrecto, pulsus fit febrilis, existunt maxime ad caput congestiones vehementissimae, et ubi ad summum affectus pervenerit, pulsus fit parvus, debilis, intermittens, facies pallescit, respirationem anhelantem molestamque reperimus.

Opii effectus in nervos.

Ex experimento *K. Boerhaavii*, jam antea a me commemorato, colligi licet, ut mihi videtur, falsam esse eorum opinionem, qui contendunt, Opium non per nervos agere, sanguinem ejus vim tantum resorbere, resorptamque ad nervorum systema et ab hocce ad ceteras partes transferre.

Sanguine re vera partes medicamentorum constitutivae cum nervis totius corporis in contactum veniunt, qui secundum ipsorum vim propriam effectus manifestant. Attamen negare nemo potest, medicamenta, ventriculo recepta, statim in nervos agere, qui incitamen-

tum hoc non solum ad organon suum centrale, sed etiam ad omnes corporis partes, quae cum ventriculo nervorum consensu junctae sunt, transmittunt.

Opium vim in nervos pro dosium diversitate ac recipiendi facultate individui animalis variam esse, jam satis constat. Parvis dosibus adhibitum, fere tantum in systema nervorum periphericum agit. Effectus solummodo in tubo intestinali se exhibentes, quod ad systema nervorum abdominis pertinet, sunt demulcentes atque sedantes. Mox vero ejus effectus in medullam spinalem atque nervos ab ea proficiscentes propagatur. Sensibilitas diminuitur, reactio augetur. Quam ob rem ex quadam parte vera est sententia *Jonis*, qui contendit, in ventriculum Opium agere ibique titillationem gratam excitare, quo facto ex remotioribus partibus vitales spiritus illuc revo-centur doloresque sedentur.

Opium rite porrecti aptisque vicibus effectus in cerebrum et sensorium commune eminentissimi apparent. Animi vires suaviter blandique excitantur atque reficiuntur. Sensorii praepotentia in musculos voluntarios animad-

vertitur, facili negotio moventur artus et sine intentionis sensu.

Ubi vero *Opium* effectus tantus est, ut exigua reactione vinci non possit, accedit status ebrietati similis. *Perox* phantasia circumagitur, aliena loquuntur, accedit vertigo, sensuum actiones hebescunt vel falluntur. Tandem vero liberae voluntatis actiones exhauriuntur, cerebri functiones impediuntur, musculorum motiones voluntati sese subducunt, extremitates tremere incipiunt, maxima fragilitas ac imbecillitas apparent, oritur summa lassitudo, paralysis, sequuntur anxietas, fatuitas, sopor. Propter hos effectus multos medicos non miror opinatos esse, *Opium* sensuum et motus muscularis organa ita obtundere, ut eorum functiones imminuantur, imo aucta ejus dosi, sensus internos turbare, musculos resolveri, lethali sopore opprimi homines.

Aggrediamur porro effectus *Opium*, quibus excretiones naturales mutantur.

Notissima est vis *Opium* alvum cohibendi, et quotiescunque datur hoc remedium, certus hic ejus effectus est. In quolibet alvi fluxu, sive noluerit, sive voluerit medicus, *Opium* semper tarditatem et constipationem alvi inducit. Interdum etiam citiorem opio alvum

reddi, testati sunt multi, prae ceteris *Wedelius*. Attamen concedit, ordinarie non purgare Opium, ita ut hic effectus si observetur, aut idiosyncrasiae aut alii singulari conditioni corporis tum obtinenti debeatur. Si spasmo venter nimis contrahitur, haud dubie Opii usu poterit solvi.

Quanta sit Opii in urina retinenda vis, *Sproegelii* experimenta satis docent, qui in cane a scrupulis duobus Opii crudi exhibitis ad tertiam usque diem nullam urinae excretionem animadvertit. De vi Opii autem in maribus solummodo urinam retinendi, dum nullum hujusmodi incommodum mulieres sentiant, omne certum me fugit exemplum.

Notissima est omnibus vis Opii aphrodisiaca, quam quidem aegroti non facile confitentur, vel ob pudorem vel quia non dignam habent, quae narretur. Opium autem stimulos venereos inferre, et vetus et hodierna experientia probat. (*Alpinus* de medic. aegypt., *Ettmuellerus* opp. pract.)

Commemoratu digna est vis, quam Opium in cutem exhibet. Id ad sudores ciendos maxime efficax esse testantur *Ettmuellerus*, *Freind*, *Hecquetus*, *Trallesius*, *Crampe* et alii.

Alii vero Opium sudores phthisicorum valide compescere docent. Turcae Opio uti ad sitim et calorem minuenda dicuntur. *Boerhaavius* in materia medica Opium calefacientissimum medicamen vocat, et contra in Aphorismis de cognoscendis et curandis morbis, docet, irritis omnibus ad minuendum aestum febrilem, nullum remedium citius ac tutius hujus mitigationem inducere, quam Opium.

Ex his colligi potest, ut mihi videtur, in omni judicio de Opii effectibus, et doseos, qua porrectum sit, et morbi rationem habendam esse.

Hisce virorum celeberrimorum de Opii effectu opinionibus rite perpensis, tueantur me *Ciceronis* verba, ne quid de mea temere adjiciam. Profecto eos ipsos, ait (in exorsu librorum de natura Deorum), qui se aliquid certi habere arbitrantur addubitare coget doctissimorum virorum de maxima re tenta dissentio. — Hoc tamen edoctus sum, et illorum opinionem falsam esse, qui putant, Opio inesse tantum vim sedantem atque sopientem, irritabilitatem ac sensibilitatem diminuentem; et illorum sententiam non rectam esse, qui contendunt, Opium tantum excitante actionemque vitalem augente vi gaudere.

Nunc de singulis morbis disserere liceat, in quibus medici Opio utuntur.

Dolendum est, permulta ab auctoribus contraria proferri, ita ut, quae alter affirmaverit, alter neget, et illi, qui propriae experientiae confidere non possit, difficillima et maxime laboriosa reddatur ad ipsam veritatem via. Unde, quaeso, ille, qui nihil expertus est, sciat, quatenus sit duarum opinionum, magnis auctoritatibus suffultarum, vel vera vel verisimillima? Sunt, qui hyperbolicis elogiis Opium exornant, sunt contra, qui hocce medicamentum canem pejus et anguem fugiunt et anxiiis dehortationibus atque terribulamentis ab ejus usu revocare tentant. Tantarum litium non intercedo iudex. Attamen ne tempus dilapidem inutili remandatione omnium morborum, in quibus Opium adhibitum est, eos tantum perlustrabo, in quibus ab eruditissimis et experientissimis viris maxime commendatur.

1) In febribus asthenicis.

Incaute et inconsiderate agunt ii medici, qui in tractandis febribus asthenicis, quarumcunque sint formarum, graduum atque complicationum, Opium adhibent, dum putant, nullam febrem asthenicam sine Opio sanari posse. Saepe etiam hoc remedium porrectum est,

cum forma febrilis nondum erat perfecta, imo in sola diathesi asthenica, in taedio laborum, in capitis dolore et in aliis lenioribus molestiis, quae cura therapeutica fere possunt carere. Quamvis pro peritissimorum medicorum sententia Opium ad febres, quae fiunt asthenicae, curandas utilissimum sit, semper tamen tempus, gradum atque complicationes respicere debemus. Praeterea provida manu adhibitum in multis malis leniter asthenicis universalibus, cum magna affectione locali conjunctis, secundum experientiam magnam praebet utilitatem.

2) In febribus intermittentibus.

In paroxysmo *Lind* Opio usus est ad crisin augendam, quo modo nunc eo non utimur. In Apyrexia *Werlhof*, *Torti* et alii illud adhibendum esse dixerunt, simulac paroxysmus cum nervorum affectionibus conjunctus sit. *Brown* cum discipulis in Apyrexia datum optimum remedium febrifugum in omnibus febribus intermittentibus laudat.

Reimar quinque rationibus prodesse Opium posse putat, adhiberi scilicet, ait, potest 1) ut stimulans atque cardiacum extra paroxysmum, 2) ut stimulans incipiente frigore febrili, 3) ut sedativum brevi post inchoatum calorem, 4) ut

diaphoreticum ante paroxysmum, 5) ubi diarrhoea ceterorum febrifugorum vim impedit.

Pro multorum celeberrimorum medicorum opinione Opium in febribus intermittentibus utilissimum est: a) cum in paroxysmis singulis reactio systematis nervorum aut abnormis aut debilior est ad crisin normalem procreandam. Cavendum autem est, ne, statu gastrico sic dicto aut inflammatorio vigente Opium temere adhibeatur; b) in febribus intermittentibus malignis, affectionibus spasticis, soporosis, comatosis et apoplecticis stipatis.

3) In inflammationibus.

Omnes viri experientissimi consentiunt, Opium tantum remota inflammatione activa et erethismo nervoso perdurante, omnino vero in inflammationibus spasmodicis sic dictis et asthenicis, si non adsint contraindicationes, aptum esse. Quamobrem ejus usus in exanthematibus acutis tum prodesse potest, si febris eum postulat, praecipue autem in illorum suppressione, si nervorum affectiones existunt. Nonnulli medici propter vires diaphoreticas his in morbis Opium commendant. Hac de re disputare non operae pretium est.

4) Contra spasmos et morbos spasmodicos et convulsivos.

24
Plurimis scriptoribus spasmus ea est musculorum et voluntariorum et involuntariorum affectio, quae motibus abnormibus et irregularibus cognoscitur. Hoc modo ratiocinantur: Nervi efficiunt, ut muscoli moveantur, quodsi in lucem proferre velimus, quomodo spasmi oriantur, a nervis incipiendum est; irritabilitas nervis inest maxima, ita ut, quodcunque aequas eorum vires perturbat, phaenomenon qualitatis nervorum proferat; irritatio igitur nervorum quaelibet proxima spasmorum causa est.

Ernestus Horn optime dicit: Illa morbosa organismi conditio, quam spasmus vocamus, non minus ac aliae affectiones, ex duplici actionis vitalis mutatione oritur. Etenim secundum experientiam dantur affectiones omnium formarum spasticae, quae a morbosa et intensive aucta actione vitali dependent, rursusque aliae, quae e contrario ex intensive imminuta actione vitali originem trahunt. E sincera naturae observatione atque experientia apparet, Opium, remedium tam vehemens actionemque vitalem tantopere augens, non omnino contra spasmos adhibendum esse. Facile intelligitur, quibus in spasmorum formis adhibendum sit, tumque tantum auxilium ferre posse hisce in morbis, si solo in systemate

nervoso siti sint. Nonnulli medici, qui nisi excitantem Opium vim agnoscunt, attamen non negant, illius usu spasmos compesci, hoc ideo solummodo fieri censent, quod Opium astheniam, spasmodum causam, tollat.

Horum morborum unum accuratius perlustrare mihi liceat, scilicet Tussim convulsivam, contra quam permagna medicamentorum turba a medicis est imperata.

Tribus stadiis malum absolvi statuitur. In primo ab omnibus fere auctoribus catarrhali dicto, symptomata coryzae vulgaria se exserunt cum affectione organorum respirationis. Stadio hoc absoluto, sub alterum stadii convulsivi dimidium respirationis organorum incitabilitas adaucta apparet et characterem spasticum atque affectionem mere nervosam testatur. Tot inter medicamenta a peritissimis artis nostrae medicis celebrata Opium maxime laudatur ab *Underwood*, *Danz*, *Mathaei* et fere omnibus recentioribus aevi medicis. *Hufelandio* quoque, qui tanta celebritate inclauit, tanti momenti visum est, ut omnibus aliis virtute praestare putet, praesertim si iis huius heroici remedii dosibus utamur, quae nihil damni tenero infantum organismo inferant.

Palliativam modo opem ferre Opium mul-

tis in morbis, quia causa principalis removeri non potest, inter omnes constat, e. g. in Chorea St. Viti, Catalepsia etc. Interdum enim causis sublatis ob irritabilitatem et sensibilitatem nimis auctam aut perversam tamen non cedunt, saepe etiam causas eorum detegere nequimus et nunc demum illis remediis, quae in morbis nervosis specifica judicantur, utimur, inter quae etiam Opio.

5) Contra Dolores.

Multi medici vehementissimos Opium dolores velociter et certo coërcere saepissime observantes, nimis festinanter et falso argumentati sunt, hoc remedium in omnibus dolorosarum affectionum formis aptum et indicatum esse, qua re saepissime aegroti in summum vitae periculum sunt praecipitati. Omnibus fere aegrotis, ait vir celeberrimus *Ernestus Horn*, operationi chirurgicae subjiciendis, ante operationem magna Opii portio, quae dolores imminentes averteret, data est nulla restrictionis necessariae casusque substrati ratione habita. Quamvis haec crapula momentaneas cultri chirurgici molestias lenire queat (quod vero non semper concedendum est), minime tamen chirurgum in tractandis gravibus malis solius evitandi doloris rationem ha-

bere oportet. An nullius momenti est, aegrotos operatione chirurgica afficiendos, sive sint sthenicae sive asthenicae diatheseos, sive fortis constitutionis sive debilis, sive morbo simplici sive complicato laborantes, fortissimo fere medicamento sine discrimine excitari?

Operationibus majoribus peractis chirurgicis aliisque in morbis vim somni medicatricem efficacissimam esse animadvertentes multi medici Opio tanquam sopienti somniferoque medicamento ad dolores fugandos utuntur. Cum vero Opium, virtute absolute sopienti carens, nonnisi quibusdam corporis conditionibus somnum adferat, tentamen, Opii viribus somniferis dolores fugandi, non solum saepe fallitur, sed quoque damnum ea ex ratione afferre potest, quia natura et character morbi non raro prorsus Opii porrectionem recusant. Pro virorum experientissimorum sententia Opium tantum in doloribus mere nervosis utile esse potest.

6) Contra Delirium tremens.

Vini usti usus frequentissimus, quia vulgo non incitamentum solum ad vires pro momento in labore restaurandos, sed remedium etiam mutans ad varias res adversas magis tolerandas aut obliviscendas habetur, systematicis vasorum stimulum modum excedentem

efficit, ut in magnam debilitatem incidant, simulque sensibilitate morbose nervorum afficiantur. Quum hoc morbo affecti nonnunquam somno perpetuo feliciter sanati sint, ejus therapia somnum vario modo efficere studuit. Opium est mandatum maximis dosibus, donec aegroti somno alto consopirentur. Somnus re vera est remedium restaurans praecipuum sanitatis turbatae licetque concedendum sit, insomnia plerumque cum morbis asthenicae indolis, ergo etiam cum Delirio tremente, conjuncta et inde remedia excitantia omnino indicata esse, nihilominus tamen dubitandum est, an Opium, omnium fere fortissimum medicamentorum, omnino hoc in morbo adhibendum sit. Nam Opio utimur, si luculenter pateat, delirium tremens congestiones ad caput comitari? Quamvis hoc symptoma solum accidentale habendum sit, delirosi tamen Opio tanquam sopienti somniferoque medicamento, non sanari mihi videntur. Quod si ita se haberet, nonne animi perpetua concitatio, corporis jactatio nimia, miseri tumultus mentis per se somnum gignere et hoc modo deliriosum a malo liberare possent? Attamen Opium in delirio tremente adhibitum multum valere ex observatione multorum medicorum patet, quod proximam hujus morbi causam, systematis vasorum debilitatem atque nimis auctam nervorum sensibilitatem tollit. In sat magna autem dosi porrigendum fere omnes auctores consentiunt. E quibus elucet, neque eos recte facere, qui permagnas inculcant

Opium doses, quibus aegrotus in summum periculum vocatur, neque eos, qui minimas porrigunt doses, quae damnum quidem nullum efficiunt neque magis autem prosunt, sed peculiarem semper tum aegroti, tum morbi indolem esse intuendam.

7) **Contra colicam saturninam.**

Quam nunc, ut a metallicis tantum oxydantibus substantiis, quarum plumbum primum tenet locum, effectam novimus. Praeter alias indicationes canalis intestinalis irritabilitas excedens est mitiganda. Inter omnia remedia primum tenet locum **Opium**, quod in hoc morbo efficacissimum se praebuit remedium. *Stoll* Opium cum camphora et floribus chamomill. praecepit. Omnino hoc valde commendat et convalescentibus ab hoc morbo ipsis ejus gr. vi-viii quotidie in dosibus refractis porrexit.

8) **Contra rheumatismum.**

Peculiarem hujus morbi naturam opium aggredi non potest, sed dolorem quidem gravissimum illud rheumatismi symptoma ad tempus removeere certe valet, qua re alia medicamenta ipsum rheumatismum impugnantia adjungi debent.

9) **Contra dysenteriam.**

Opium propter virtutem secretiones et praecipue alvi profluvia coercendi in dysenteria, maxime in rheumatica vel catarrhali, remedium esse efficacissimum, inter omnes constat. Attamen semper complicationes respiciendas esse, satis superflueque jam dictum.

10) **In Diabete.**

Pro variis de hujus morbi causis opinio-

nibus, variis medici remediis usi sunt, quo factum est, ut quotquot habemus medicamina, ea fere omnia commendata sint, ita ut cura valde incerta et magis empirica quam rationalis haberi possit. Magnam autem famam in nimiam lotii secretionem coërcendo Opium adeptum est. *Pelham Warren, Rollo, Lipp* et alii Opio in diabete cum prospero successu usi sunt. *Hufeland* duas ad diabetem curandum indicationes proponit, quarum altera dynamicam quandam renum alternationem, altera secretionis mutationes efficiat. Commendat igitur remedia narcotica, praecipue Opium, nam, ait, coercet famem, sitim auctamque urinae secretionem et praebet aegroto nonnullam recreationem.

11) Contra Haemorrhagias.

Variis argumentis stabilitur, Opium haemorrhagias praecipue pulmonum et uteri compescere. Ipse infensissimus Opio, *E. Stahlius* cum discipulis in gravioribus sanguinis fluxibus opiata exhibenda suadet. Nonnulli medici ex sedante vi medicaminis hos effectus proficisci putant; alii excitare Opium et debilitatem, morbi causam, tollere opinantur.

12) Opium praeter usum internum extrinsecus quoque jam diu frequentissimeque adhibetur, ac modo in cutem integram, modo laesam applicatum est. Id quidem certum est, auxilium tulisse, ubi internus usus nequidquam tentatus erat. Quod ad dosin attinet, nil certi constitutum est, sed multo majorem copiam hic impune adhiberi posse quam interne non dubitari potest.

13) Ad officium medici non solum pertinet, ut sanitati aegroto restituendae quam maximam navet operam, sed etiam, quando morbi eum gradum sunt assecuti, ut neque natura neque arte sanari possint, quando vita in forma individualitatis perseverare non potest et cum naturae vigore universali se conjungere cupit et gravem illam pugnam luctatur, ut excessum e vita quam maxime lenem et placidum faciat. Cujus qui moribundis atrophis, hecticis, phthisicis interest, misericordia non commovetur, ut eorum mala leniat? Cui, qui videt miseros hydropicos, carcinomatosos et insanabili ossium carie afflictos, morti vicinos, humanitas arduissimum non injicit desiderium, ut eorum dolores et cruciatus mitiget; ut omnia, quae miserorum tormenta tollere vel certe lenire valeant, afferat levamina? Talibus multis in casibus summam meret laudem Opium, quod non raro a medicis ultimum refugium celebratur. Quatenus igitur Opium systema nervosum placet, quatenus rerum externarum efficientiam, percipiendi facultatem communem obtundat, imo in eas resistendi vim provocet, quatenus affectiones spasmodicas deleniat, eatenus est adhibendum.

Haec sunt candide lector, quae tibi tiro medicus offero, et si commentariolum hoc desideriiis tuis minus respondeat, ut illa poëtae sublimis verba:

»Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas.«
in memoriam revoces, etiam atque etiam rogo!

V I T A.

Ego, Carolus Henricus Robertus Brandt in Palaeomarchiae pago, cui nomen est Gross-Schwechten, anno hujus saeculi duodecimo natus atque confessioni evangelicae addictus sum. Parentes, quos adhuc superstites pio gratoque animo veneror, mihi sunt C. Brandt et Henrietta e gente de Buelow. Primis litterarum elementis imbutus, Gymnasium adii Stendaliense, quod usque ad hunc diem directore Ill. Haackio floret. Postquam per annos sex illud frequentavi, maturitatis testimonio ornatus, anni MDCCCXXXII mense Aprili Berolinum me contuli atque inter cives Academiae regiae medico-chirurgicae militaris receptus per quadriennium hosce viros illustrissimos disserentes audiui:

Cel. Wolff de logice et psychologia; Ill. Link de historia naturali, de botanice, de toxicologia; Cel. Turte de physice, chemia et pharmacia; Beat. Rudolphi de encyclopaedia et methodologia medica; Ill. Schlemm de osteologia, syndesmologia, splanchnologia; Ill. Schlemm in arte cadavera rite dissecandi dux erat; Ill. Mueller de physiologia tam generali quam speciali; Ill. Fr. Hufeland de semiotice, de pathologia et therapia generali et speciali; Ill. Horn de morbis mentis atque de morbis syphiliticis; Ill. Osann de materia medica, de fontibus medicatis, de auxilio ferendo in repentinis vitae periculis; Cel. Casper de medicina forensi et de arte formulas medicas concinnandi; Ill. Juengken de chirurgia tam generali quam speciali; Ill. Kluge de arte obstetricia, de arte rite fascias applicandi, de chirurgia generali, de ossibus fractis et luxatis; Ill. Kluge et Ill. Jüngken de akiurgia. Exercitationibus clinicis interfui medicis virorum Ill. Bartels, Cel. Wolff; chirurgicis Ill. de Graefe.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medico atque examine rigoro rite absolutis, omnibus, qui ad erudiendum me contulerunt, illustrissimis viris, summas quas habeo gratias ago, ac spero fore, ut dissertatione thesibusque defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

T H E S E S.

1. Digitalis non est remedium diureticum.
2. Dactylosmileusis est praeferenda amputationi digitorum.
3. Contagium phthisicum esse, nego.
4. Naevi materni ex imaginatione matris non oriuntur.